



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

Titvlvs XX. De corpore vitiatisordinandis, vel non.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

Clericis moveantur postmodum cum infamia Ecclesie *c. uni. h. t.* quam tamen constitutionem non tantum indulgentia Pontificum, & piarum causarum admi-

nistratio, aut personarum miserabilium cura, sed recepta praxis, & vicens consuetudo multum explicat.

T I T U L U S . X X .

DE CORPORE VITIATIS ORDINANDIS, VEL NON?

**O**B corporis vitium repelluntur ab ordinibus suscipiendis, qui tali defectu corporis laborant, ut vel congruum ille usum, aut exercitium ordinis, præsertim celebrationem Missæ, ad quam reliqui ordines referuntur, impediatur, aut notabilem deformitatem contineat, ut sine scandalo aut gravi indecentiâ sacrum ministerium exercere non possit, sive de in propria culpa, sive alieno facto, aut injuriâ, sive à nativitate, sive alio casu defectus ille acciderit, ut sumitur ex *c. 2. de Cler. agrot.* & hinc, qui alterâ manu caret, ordinari non potest, *c. exposuisti 6. h. t.* & qui digito caret, ad frangendam & elevandam hostiâ necessario, pollice scilicet vel indice, *c. ultimo h. t.* (non tamen qui parte tantum talis digiti caret, aut qui integrum digitum alium, non tamen ad celebrandum necessarium, amisit, ita tamen ut absque scandalo celebrare possit, prout sumitur ex *c. 1. ultimo h. t.*) & qui cæcus omnino est, mutus & surdus juxta *Can. Apost. 37.* & qui ita parvus est, ut attollere brachia sufficienter non possit ad altaris ministerium, vel qui cum notabili deformitate alterutro oculo caret, naribus, aut auri-

culis truncatus est, cum patente & notabili deformitate; qui unum tantum pedem habet, aut ita claudicat, ut non possit nisi pedeligno nixus incedere, aut qui gibbum valde monstruosum habet: ita tamen ut Episcopo determinandi & declarandi potestas concessa sit, utrum defectus talis notabilem deformitatem, aut defectum inducat, *arg. c. cum de tua 2. h. t.* si tamen aut talis defectus, qui exercitium aliquod ordinis simpliciter impedit, seu magnam deformitatem adfert, susceptis jam ordinibus supervenit, sine propria culpa ordinati, non omnino quidem talis ad quodlibet exercitium suscepti ordinis inhabilis erit, sed ad illam tantum functionem, quam vel simpliciter exercere non potest, vel non nisi cum magna deformitate, & hinc quamvis talis ut Sacerdos ob vitium corporis celebrare non possit, potest tamen audire confessiones, potest ut Diaconus in divinis ministrare, ob jus jam quæsitum, per susceptos legitime ordines, quo per supervenientem hunc defectum non privatur, nisi in quantum defectus iste exercitio suscepti ordinis obest.

Extenditur autem hæc inhabilitas ad

R 2

ordines

ordines suscipiendos primò ad illos etiam, qui sibi ipsis membrum aliquod, aut partem membri culpabiliter absciderunt, aut abscindi fecerunt, etiamsi talis abscissio occulta tantùm sit, & nullam aliam deformitatem, aut impedimentum ordinis afferat, ob crudelitatem scilicet in se ipsum exercitam, prout colligitur ex c. 3. & 4. h. t. & cum homo non sit dominus suorum membrorum, consequenter ex nulla causa, nisi totius individui conservatio à tali abscissione pendeat, se ipsum mutilare potest. Secundo extenditur ad inhabilitatem ex certis quibusdam morbis provenientem, qui inferunt debilita-

tem virium corporis, aut horrorem & deformitatem moraliter incurabilem; & hinc ex variis sententiis variorum ordinari non possunt leprosi, paralytici, phrenetici, amentes, lunatici, energumeni, sive à dæmone obsessi, morbo caduco laborantes &c. quorum aliqui ordinati non debent, etiamsi à tali morbo liberati videantur, quia vix unquam plene sani creduntur: qua tamen in re multum poterit Episcopi iudicium, non quidem dispensando, quòd soli Pontifici in hac juris communis irregularitate conceditur, sed declarando, defectum aut morbum talem ordini suscipiendo non obesse.

## TITULUS XXI.

### DE BIGAMIS NON ORDINANDIS.

**B**igamos non esse ordinandos sine dispensatione à Pontifice obtentâ, certissimi juris est; non quidem, quòd bigamia sit peccatum aliquod, sed quòd illi, qui bigamiam contrahunt, deficient à perfecta significatione Sacramenti matrimonii, unam Christi cum Ecclesia conjunctionem significantis, ad quod melius intelligendum, sit

#### §. I.

*Quid, & quotuplex sit bigamia?*

**B**igamia est irregularitas proveniens ex defectu significationis sacramenti matrimonii; cum enim sacramentum matrimonii significet ex institutione Christi arctissimam conjunctionem Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem,

hæc autem unica fuerit, unius scil. Christi cum sponsa unica, eaque virgine Ecclesia, bigamus autem ille sit, qui cum duabus successivè contrahit, & consummat matrimonium, vel cum vidua, aut non virgine ab alio jam corrupta, consequenter deficit talis in contrahendo matrimonio à perfecta significatione sacramenti matrimonii. Est autem triplex bigamia, vera, interpretativa, & similitudinaria. Vera est, cum quis successivè cum duabus uxoribus matrimonium verè & validè contraxit (Latine enim bigamus id dicit, quod bis conjugatus) & utrumque consummavit (matrimonium enim consummatum requiritur ad perfectam arctissimæ conjunctionis Christi cum Ecclesia significationem) sive dein

ante